

19. *Potestque iudex ecclesiasticus hujus criminis reos tradere curiæ sæculari puniendos absque ullo periculo irregularitatis jure ordinario.* — Illud etiam hic notandum, quod si iudex ecclesiasticus sortilegum et maleficum curiæ sæculari tradendum invenit, id facere possit absque ullo periculo irregularitatis, et sine obtenta speciali facultate Papæ, jure ordinario, per jura citata; ita tamen, ut si clericus Curie sæculari tradatur, prius degradetur, prout bene advertit Delrio *Disquisit. magic.*, lib. V, sect. 16, de *Pœna*, et supplicio maleficorum, ubi etiam formam sententiæ contra maleficos, et traditionis ad Curiam sæcularem exhibet, apud quem insuper copiose et exacte invenies, quæcunque circa hanc materiam desiderari possent. (ADNOTATIO XXXVII.)

TITULUS XXII.

De collusione detegenda.

1. *Collusio, quid?* — Quæritur I. Quid sit, et circa quas causas fiat collusio? Resp. I. Collusio est latens et fraudulenta inter actorem et reum conventio; ut explicat Glossa in c. *Audivimus*, h. t., §. *Collusione*, dum nempe actor cum reo colludit, ejusque partes tacite adjuvat, tacendo videlicet, vel omitendo veras probationes, et falsas defensiones, aut exceptiones admittendo, vel ab accusatione desistendo, arg. c. 1, et fin., h. t.

2. *A civilistis vocatur prævaricatio, vel tergiversatio.* — Hæc collusio a civilistis vocatur prævaricatio, et tergiversatio, et colludentes dicuntur prævaricatores, vel tergiversatores. Et quidem prævaricatio vocatur, quando accusator proprias probationes dissimulat, vel falsas rei exceptiones admittit, ne puniatur, l. 1, et l. *Ab Imperatore*, ff. de *Prævaricat. Tergiversatio*, vero, quando accusator ab accusatione jam cœpta omnino desistit.

3. *Non datur in civilibus, sed tantum in criminalibus, et beneficiis causis.* — Resp. II. Quamvis nonnulli cum Hostiensi velint, collusionem committi posse tam in civilibus, quam criminalibus causis, tamen melius dicitur cum Mascardo de *Probat. Concl.* 322, n. 6, eam non nisi in criminalibus, et bene-

ficiis ecclesiasticis committi juxta c. *Audivimus*, 3, h. t., minime vero in civilibus, nisi in præjudicium tertii vel in causa matrimoniali collodatur. Ratio est, quia in civilibus licita est transactio, concordia et amicitia litigantium, vel totalis litis sublatio, hoc ipso quod agatur tantum de privato interesse ipsorum. Dum e contra in processu criminali agitur de bono communi exigente, ne delicta maneant impunita, c. *Ut famæ*, de *Sent. Excomm.*

4. *Et fieri potest non tantum inter actorem, et reum, sed inter advocatos, et procuratores.* — Cæterum collusio tam per clericos, quam laicos, et quidem non tantum inter principales, sed etiam per advocatos, et procuratores, dum videlicet horum aliquis in præjudicium sui principalis cum altero principali vel advocato illius colludit manifestando ei secreta, vel dissimulando, aut non refutando refutanda, vel probationes efficaces omitendo, etc. Notandum tamen, quod ita male procedendo advocati collusores proprie loquendo non dicantur, sed tantum improprie, arg. l. 1, de *Prævaricat.*, ibi: « Cæterum advocatus non proprie prævaricator dicitur. » Unde etiam potius falsarius, quam collusor dicitur, et pœnis falsi subjacet per dicta Tit. XX, n. 8, et n. 30. Quamvis etiam respectu talis improprie dictæ collusionis pœnæ extraordinariæ subsit, cit. l. 1 ff. de *Prævaricat.*, ibi: « Hic extraordinarie solet puniri. »

5. *Si accusator per collusionem ab accusatione desistit, potest, et debet iudex ex officio inquirere. Delicta non debent manere impunita.* — Quæritur II. Quid juris, et quæ pœnæ sequantur, casu, quo fiat collusio? Resp. I. Si accusator criminalis ab accusatione desistit, potest, imo debet iudex ex officio inquirere et procedere, arg. c. 1 et 2, h. t., ibi: « Crimina semel audita Gregorius in discussa nullo modo præteribat, etiamsi accusatus cum accusatore in gratiam redisset. » Ratio est, ne crimina jam semel publicata maneant impunita, l. *Ita vulneratus*, ff. ad *Leg. Aquil.* et c. *Ut famæ*, 35, de *Sentent. excomm.*, ibi: « Cum publicæ communitatis intersit, ne crimina maneant impunita. »

6. *Reus per collusionem absolutus, potest denuo accusari, et inquiri.* — Resp. II. Si reus interveniente collusionem per sententiam fuit absolutus, potest denuo accusari, et inquiri contra illum, quando de collusionem constat, arg. c. fin., h. t., et l. *Prævaricationis*, 3, § 1,

ff. de *Prævaricat.*, juncta l. *Si quis*, 11, C. de *Accusat.* Ratio est, tum ne delicta maneant impunita, contra cit. c. *Ut famæ*, 35, de *Sentent. excomm.* Tum ne reus ex sua malitia commodum reportet, contra l. ff. de *Dolo*.

7. *Solvitur objectio: semel absolutus per sententiam a delicto, super illo amplius molestari non potest.* — Nec obstat, quod sententia iudicis absolutoria ita tollat crimen, ut de illo quæri non amplius possit, arg. l. *Si cui*, 7, § 2, ff. de *Accusation.* et c. *De his*, 6, eod., ibi: « De his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari. » Respondetur enim, quod sententia per collusionem lata sit nulla, et perinde ac si lata non fuisset, l. *Præses*, 5, C. de *Pignor.* et l. *Cum non*, 3, ff. h. t.

8. *Pœna collusionis in materia criminali.* — Resp. III. Quamvis enim collusionis, seu prævaricationis sit arbitraria, seu extraordinaria pro diversitate circumstantiarum imponenda l. *Sciendum*, 2, ff. de *Prævaricat.*, ibi: « Sciendum est, quod hodie iis, qui prævaricati sunt, pœna injungitur extraordinaria, » juncta l. 1, § *Si quis*, 7, et l. 2, ff. ad *S. C. Turpil.* tamen prævaricator etiam pœnam infamiæ in specie incurrit l. *Si is*, 4, ff. de *Prævaricat.*

9. *In materia beneficii.* — Resp. IV. Si collusio fiat super beneficio ecclesiastico (cujus collusionis casus aliquis narratur c. *Audivimus*, 3, h. t.) uterque colludentium ipso privari debet beneficio; tum ne fraus et dolus alicui patrocinetur, uti habetur, cit. c. 3, h. t., tum ne delicta maneant impunita contra jura num. 5, allegata.

TITULUS XXIII.

De delictis puerorum.

1. *Infantes qui dicantur? non subjacent pœnæ criminali.* — Multa huc usque dicta sunt de variis delictis, et pœnis eorum: jam vero in præsentis titulo quæritur: Num etiam, et qualiter pueri subjaceant pœnis delictorum hactenus recensitorum, casu, quo aliquod ex eis committunt? Resp. I. Infantes, id est pueri, qui necdum compleverunt septimum annum ætatis, l. *Si infanti*, 18, C. de *Jure deliberandi*, excusantur a delictis, et pœnis per leges statutis; cum doli capaces

non sint, et, quod agunt, ignorent: arg. l. *Et si*, ff. ad *Leg. Aquil.* et l. *Infans*, ff. ad *Leg. Cornel. de Sicariis*: ubi dicitur, quod si infans damnum fecerit, aut aliquem occiderit, non teneatur ad pœnam. Concordat Clem. un. de *Homicidio*.

2. *Nec pueri infantiæ proximi.* — Resp. II. Pueri quoque infantiæ proximi, id est, septennio non multum majores, a pœnis delictorum a se commissorum immunes sunt. Farinacius, quæst. 92, num. 26. Carpz., *Prax. criminal.*, p. 3, quæst. 143, num. 130. Ratio est, quia etiam hi sufficienti iudicio carent, et non multum distant a furiosis, ut dicitur § *Sed quod*, 10, Instit. de *Inutil. stipulat.*

3. *Bene vero pueri pubertati proximi: ita tamen ut a pœna capitali sint immunes.* — Resp. III. Pueri pubertati proximi, sicut et alii, qui infantiam egressi, doli capaces sunt (quod iudicis arbitrio relinquitur, estque circumstantiis dijudicandum, cum contingat alios aliis maturius iudicio pollere) si aliquod crimen commissionis perpetrarunt, puta, furtum, mendacium, perjurium, homicidium, vel hujusmodi, omnino etiam criminaliter puniri possunt, mitius tamen, quam si ab aliis crimen esset commissum, c. 1, h. t., adeo ut etsi crimen capitale committant, ultimo supplicio affici non possint, nec etiam torqueri, l. 1, § 33, ff. de *S. C. Silan.* Ratio est, quia ob defectum iudicii, et prudentiæ minus malitiose et dolose delinquere præsumuntur, quam ætate proveciores, et ideo etiam mitius, quam ista puniuntur, argum. l. *Fere in omnibus*, ff. de *R. I.*

4. *Nisi crimen prorsus enorme committant.* — Notat tamen bene Farinacius, tom. III, tit. de *Pœnis temperandis*, q. 92, quod si pueri in conclusione præcedenti specificati crimina prorsus enormia committant, nec spes emendationis sit, uti in veneficiis, etiam ultimo supplicio affici queant, arg. l. *Excipiuntur*, 14, ff. ad *S. C. Silan.* et *Constitut. Caroli V*, art. 164, quam etiam de crimine læsæ Majestatis procedere, defendit Decianus apud Farinacium, loc. cit., n. 107.

5. *Etsi minores ordinaria pœna affici possent, tamen regulariter mitius puniuntur.* — Resp. IV. Quamvis consecuti pubertatem (quæ in materia criminali tam quoad fœminas quam masculos habetur exacto anno decimo quarto) sed minores adhuc viginti quinque annis, ob delicta commissionis puniri possint pœna ordinaria, arg. l. *Si ex*

causa, 9, ff. de *Minor.*, ibi: « Placet in delictis minoribus non subveniri: et L. *Auxilium*, 37, § 1, ff. cod., tamen regulariter loquendo, et nisi alia delictum aggravantia concurrant, iudex minores mitius punire potest, et solet, quam majores, arg. l. *Auxilium*, ff. de *Minorib.*, ibi: « In delictis autem minor annis viginti quinque non meretur integram restitutionem, nisi quatenus interdu miseratio ætatis ad mediocrem pœnam iudicem produxerit. » Concordat l. *Fere in omnibus*, ff. de *Reg. jur.*, ibi: « Fere in omnibus pœnalibus judiciis et ætati, et imprudentiæ succurritur. » Clarus, § fin., q. 60, n. 3. Farinac. cit., q. 92, n. 41, et alii.

6. *Ob peccata commissionis nullam pœnam criminalem incurrunt minores, nisi ex dolo delinquant.* — Dicitur autem notanter in utraque præcedenti conclusione, ob crimen commissionis; quia ob peccata omissionis non solum pueri pubertati proximi, sed etiam puberes, minores tamen, a pœnis criminalibus sunt immunes, uti cum pluribus aliis bene notat Farinacius, loc. cit., n. 69, et 722, arg. l. *Licet*, 2, C. *Si adversum delict.* et l. *Minoribus*, 6, C. *de His, qui ut indigni.* Ratio est, qui imprudentia potius, quam malitia præsumuntur tales omittere debita; consequenter intrat regula supra citata fere in omnibus; nisi forsitan probetur, etiam tales omittendo commisse dolum, tunc enim et hi pœnis subjacerent, cit. l. *Excipiuntur*, 14, ff. ad *S. C. Silan.*

TITULUS XXIV.

De clerico venatore.

1. *Ratio continuationis.* — Hactenus actum est de delictis communibus tam clericorum, quam laicorum. Nunc incipit compilator agere de peculiaribus quibusdam clericorum delictis incipiendo de venatione, quæ licet secundum se sit licita, de jure tamen est prohibita clericis, ut statim patebit. Nam.

2. *Venatio alia est oppressiva omnino illicita.* — Queritur I. An et qualis venatio? quibusque sub pœnis prohibita sit clericis? Ante responsionem notandum cum Sylvestro *¶ Venatio*, et aliis, tres præcipue esse species venationis. Prima est, et dicitur oppressiva, sic dicta, quia per eam homines injuste gra-

vantur, et quasi opprimuntur: et hanc illicitam esse, nemo negat, arg. can. et § fin. dist. 6.

3. *Alia arenaria, pariter prohibita.* — Secunda est arenaria; quæ per pugnam cum bestiis in arena pro quæstu exercetur, et hæc non tantum clericis prohibita, sed etiam respectu laicorum infamiæ inductiva est, lib. I, § 1, *¶ Item*. ff. de *Postuland.*

4. *Alia sylvatica de qua in præsentibus.* — Tertia est sylvatica, quæ ad ferarum, et volucrum captionem, vel cædem instituitur sine oppressione. Et proprie dicitur venatio, de qua in præsentibus agitur. Hinc ad quæstionem:

5. *Venatio sylvatica quieta et moderata raro facta, etiam clericis est licita.* — Resp. I. Quamvis hoc titulo per duo capitula prohibeatur episcopis, presbyteris, et aliis clericis, utpote servitio divino specialiter addictis, ne instituant venationes, aut sylvaticas vagationes cum canibus, et accipitribus, aut falconibus; ac ne canes, et accipitres, aut hujusmodi ad venandum habeant, eademque prohibitio habeatur in concilio Tridentino Sess. 24, cap. XII, de *Reform.* ac respectu religiosorum specialiter in Clem. 1, § *Porro. de Statu monachor.* tamen jura hæc intelligenda non sunt de venatione quieta, et moderata, raroque facta, sed tantum de tumultuosa, et clamorosa, quæ magno cum apparatu, tumultu, et strepitu canum et armorum fit; adeo ut venatio quieta et moderata, quæ sine magno strepitu, et si aliquibus cum retibus, et laqueis, ac paucis canibus ad capiendos, aut feriendos lepores, volucres, aliasque feras minores instituitur, clericis interdicta non censeatur; sive dein fiat causa necessitatis ad tollendas feras noxias vineis, segetibus etc. sive causa utilitatis, ut dum ex tali venatione partem percipiunt, vel alias honestæ distractionis, recreationis, et sanitatis, uti cum Glossa in c. 1, h. t. *¶ Voluptate*, communiter docent doctores, et in specie Abbas in cit. c. 1, h. t., n. 1 et ibi Hostiensis, et Barbosa, n. 2. Sylvester *¶ Venatio*, Bellet. *Disquisit. cleric.*, p. 1. Tit. de *Disciplina cleric.*, § 19. Pirhing h. t., n. 3, et alii, id desumentes ex concilio Tridentino Sess. 24, cap. XII, de *Reformat.* ubi non omnes, sed illicitæ tantum venationes interdicuntur clericis, ibi: Ab illicitis venationibus, etc., quales non videntur quietæ et moderatæ raro factæ. Accedit consue-

tudo, optima legum interpres, qua constat, hujusmodi venationem passim etiam a doctis et timoratis clericis, pro licita reputari, indeque sine scrupulo practicari.

6. *Non vero tumultuosa, et clamorosa, nec moderata nimis frequenter facta.* — Resp. II. Venatio tumultuosa et clamorosa, quæ magno armorum, retium, canum, accipitrum apparatu, tumultu, et vehementia fit, uti contingit, dum instituitur ad capiendos, vel feriendos apros, cervos, aliasve præsertim majores feras, et aliquando etiam aves, omnino prohibita est clericis; sicut et venatio quieta, nimis tamen frequenter facta, ita communissima doctorum, arg. cit., c. 1 et 2, h. t. ibi: Omnibus servis Dei venationes, et sylvaticas vagationes cum canibus, et accipitres, aut falcones habere interdiximus: juncto. Concil. Trident. cit. Sess. 24, cap. XII, de *Reformat.* ibi: ab illicitis venationibus abstineant; cum enim his juribus aliqua venatio procul dubio sit prohibita clericis, quieta vero, et moderata raro facta sit licita, per dicta, certe saltem tumultuosa et clamorosa, necnon quieta, sed nimis frequenter facta erit prohibita.

7. *Ratio, cur venatio clericis sit prohibita.* — Ratio autem, ob quam hujusmodi venatio sit prohibita est, tum quia venatio partim propter tumultum et clamorem satis dissolvit, et dehonestat clericalem modestiam; partim quia propter immitem calidi sanguinis animalium effusionem refert quamdam speciem belli, simulque excitat in animis aliquam asperitatem, et truculentiam debitæ mansuetudini et lenitati clericali valde adversam: tum quia per venationem etiam quietam nimis tamen frequentatam clerici a divinis officiis, et spiritualibus, aliisque clericalem statum decentibus occupationibus abstrahuntur, hoc ipso, quod venationi nimium dediti primas diei curas, et primum idemque nobilissimum diei tempus, quod divino obsequio, et præfatis occupationibus consecrare deberent, investigandis, et insectandis, capiendisque feris ac volucris impendant, prout cum aliis bene observat Gonzalez in c. 1, h. t., n. 7.

8. *Sententia Patrum contra venationem.* — Hinc satis terribiles inveniuntur sanctorum Patrum sententiæ juri insertæ, uti c. *Esau*, 41, dist. 86, ibi: Esau venator erat, quoniam peccator erat, et penitus non invenimus in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem, et piscatores invenimus sanctos.

VI.

et can. *An putatis*, 13, ead. dist. ibi: An putatis illum jejulare fratres, qui primo diluculo non ad ecclesiam vigilat, non beatorum martyrum loca sancta perquirat; sed surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, saltus sylvasque perlustrat, servulos inquam secum protrahit, forsitan magis ad ecclesiam festinantes, et voluptatibus suis peccata cumulat aliena nesciens reum se futurum, tam de sua, quam de perditione servorum.

9. *Pœna clerici venatoris.* — Resp. III. Pœnæ clericorum illicitam venationem exercentium habentur c. 1, h. t. illis verbis: Episcopum, presbyterum, aut diaconum canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet: quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuit; si episcopus est, tribus mensibus a communione; si presbyter duobus; si diaconus, ab omni officio suspendatur; quam suspensionis pœnam etiam ad subdiaconum extendit Glossa in cit. c. 1, h. t. Minoristas vero clericos arbitrio judicis plectendos tradit ibid. Ancharanus, et Hostiensis in *Summa*, n. 4.

10. *Sunt hodie abrogatæ.* — Verum has pœnas consuetudine abrogatas notat Wag-nereck h. t. qua consuetudine etiam derogatum esset canonibus, si qui essent, quibus talis quoque venatio, et requisita ad eam, v. g. canes, retia, etc., prohiberentur, quæ nec ab officiis divinis avocant, nec mansuetudini clericali contraria sunt. Cum enim talis venatio, et requisita ad eam ex se indifferentia, et jure naturali permissa sint, arg., § *Feræ*, 12. *Institut. de Rerum divis.* utique valebit consuetudo contra legem talia prohibentem, argument. c. fin. de *Consuetud.* (ADNOTATIO XXXVIII).

TITULUS XXV.

De clerico percussore.

1. *Ratio ordinis.* — Uti venatio sic etiam percussio, seu rixatio repugnat mansuetudini, lenitati, et modestiæ clericali. Hinc post illam de hac recto ordine agitur præsentibus titulis.

2. *Clerici laicum etiam delinquentem propriis manibus percutere non possunt.* — Quæ-

30

ritur I. An et qualiter quibusque sub pœnis prohibitum sit clericis percutere laicum? Resp. I. Specialiter cuius clericis præsertim in majoribus constituto prohibitum est laicum etiam delinquentem, sive fidelem, sive infidelem propriis manibus percutere. Communis et certa per clara jura can. 1, et can. *Episcopum* 7, dist. 43, ibi: Episcopum, aut presbyterum, aut diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles inique agentes, dejici ab officio suo præcipimus. Concordat can. *Non licet*. 23, dist. 86, ibi: Non licet episcopo manibus suis aliquem cædere, hoc enim alienum a sacerdote esse debet. et c. 1, h. t. ibi: Si quis in aliquo gradu sacro percussor extiterit, corripiatur a crimine, et si se non emendaverit, deponatur. Ratio jam supra insinuata est; quia percussio repugnat modestiæ clericali, ac mansuetudini Christi, quam imitari debent clerici. Hinc cit. can. *Episcopum*, postquam percussio prohibita fuit, additur: Quia nusquam nos docuit hoc Dominus. E contrario vero ipse, cum percuteretur, non percutiebat; cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.

3. *Limitatio remissiva*. — Limitatur tamen conclusio in casu, quo clerici præceptores, moderatores, et magistri leviter, et moderate percutiunt sibi commissos discipulos, juxta dicenda, n. 9.

4. *Pœna clerici percussoris*. — Resp. II. Pœna clerici percussoris est, quod imprimis pro qualitate, et circumstantia percussoris notabilis debeat corrigi, aut corripi, et puniri arbitrio judicis; postea vero si se non emendet, sed sæpius ac forsitan etiam ob leves defectus percutiat, ita ut ex indignatione, et quadam iracundia ad verbera statim procedere soleat, tanquam inhumanus et ferus, statuque clericali indignus deponi possit, et debeat, arg. c. 1, h. t. cujus textum lege, n. præcedent. Glossa, et doctores ibid. communiter. Bene tamen inferentes, propter unam etiam notabilem, et gravem percussorem laici, clericum pœnam depositionis non incurrere, sed aliter corripi debere, nisi percussio hujusmodi lethalis, vel saltem enormis esset.

5. *Præsertim lethalis, vel enormis*. — Enimvero etiam ob unicam, lethalem tamen, vel enormem percussorem clericus deponendus est, Glossa in c. 1, h. t. et ibi Hostiensis, Pirhing h. t., n. 2, arg. can. fin. dist. 23, et c. 2, h. t. Ratio est, quia gravissime

adversatur statui, modestiæ, et mansuetudini clericali hujusmodi percussio.

6. *Superiores ecclesiastici possunt causa correctionis verberibus castigare clericos sibi subditos*. — Quæritur II. An, et qualiter prohibitum, vel permissum sit superioribus ecclesiasticis tam sæcularibus, quam regularibus correctionis causa percutere, seu verberibus castigare, et punire clericum subditum? Resp. Possunt episcopi, et superiores regulares, clericos sibi subditos, et quidem existentes in minoribus etiam propter leves defectus; constitutos autem in majoribus, seu sacro aliquo ordine initiatos, non nisi propter graves excessus, vel delicta (inter quæ etiam ebrietas numeratur) verberibus castigare, can. *Cum lætatus*. 8, dist. 43, et can. fin. dist. 35, et ibi Glossa *¶ Corporali*, communi recepta.

7. *Episcopus tamen propriis manibus etiam correctionis causa verberare neminem potest: sed de jure id facere debet per alium clericum: de consuetudine vero etiam per laicum*. — Notandum tamen, quod episcopus propriis manibus etiam correctionis causa percutere non possit clericum, cit. can. *Non licet*. 23, dist. 86, sed id committere debeat alicui alteri, et quidem clerico, adeo, ut si id laico committeret, tam ipse committens, quam laicus ex mandato percutiens clericum, essent excommunicati, arg. c. *Universitatis*. 24, de *Sentent. excomm.* et ibi Barbosa, n. 2. Navarrus h. t. *Consil.* 42. Pirhing h. t., n. 1, nisi forsitan alicubi esset consuetudo legitime præscripta, quod episcopi per laicos verberibus castigant clericos delinquentes, prout de Gallia testatur Barbosa loc. cit. et eandem passim vigere, atque rationabilem, et in jure fundatam esse, dicunt alii, arg. c. *Clerici*. 15, de *Sentent. excomm.* in 6, ubi superioribus ecclesiasticis permittitur, quod etiam per laicos violenter capere, et incarcerare valeant clericum delinquentem: idque merito; ne alias contra cit. c. *Famæ*. 35, de *Sentent. excomm.* delicta maneant impunita: cum difficile sit reperire clericos, qui velint in se suscipere manus capiendi, carcerandi, et verberandi alios delinquentes clericos.

8. *Superiores regulares habent privilegium per suos laicos religiosos seu conversos verberibus castigandi suos subditos clericos causa correctionis*. — Resp. II. Quamvis superiores ecclesiastici episcopo minores, præsertim regulares in casu, quo causa correctionis

oportet verberare subditum regularem, id facere deberent manu propria (nisi necessitas aliter urgeat) ut clare decisum habetur c. *Universitatis*. 24, de *Sentent. excomm.* Tamen superiores fratrum minorum speciali privilegio summorum Pontificum Alexandri VI, et Leonis X, etiam extra casum necessitatis subditos religiosos per aliquos suos subditos fratres laicos seu conversos quoque verberibus castigare valent: uti videre est in Compend. privileg. *¶ Absolutio ordinaria*, n. 20, et n. 23, quo privilegio etiam alias religiones per communicationem gaudere recte docet Palao tract. 29. disp. 3, pun. 23, § 3, n. 11.

9. *Magistri, præceptores, moderatores, clerici possunt sibi commissos discipulos tam laicos, quam clericos causa correctionis leviter, et moderate percutere. Idem valent seniores sacerdotes respectu juvenum turbantium officium divinum*. — Illud etiam hic advertendum, quod clerici existens præceptores, moderatores, et magistri artium liberalium, si verbis nil efficiunt, verberibus etiam castigare valeant non tantum laicos suæ curæ commissos, arg. can. *Aut facta*. 19, dist. 1, de *Pœnitent.* sed etiam clericos c. 1, et c. *cum voluntate*, 54, de *Sentent. excomm.* Ubi idem etiam extenditur ad alios seniores clericos, eosque ab excommunicatione immunos esse declaratur, qui zelo devotionis pueros vel adolescentes in minoribus ordinibus constitutos turbantes divinum officium leviter forsitan percusserint; eo quod hujusmodi percussiones causa correctionis adhibitæ, nec violentæ, nec suadente diabolo censentur cit. c. 1, h. t. et ibi Abbas, n. 1. Navarrus Manual., cap. xxvii, n. 81.

TITULUS XXVI.

De maledicis.

1. *Ratio ordinis*. — Post titulum de percussoribus recte sequitur de maledicis; quia et hi in suo sensu sunt percussores, et maledictum ipsorum percussio est linguæ videlicet, ita ut sicut illi manu, ita hi lingua percutiant. De quibus:

2. *Maledictum et maledicti, qui?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit maledictum vel maledictio, et maledicus? Resp. I. Ma-

ledictum seu maledictio, a male dicendo, vel loquendo sic nuncupatum, est, et dicitur, malum dictum, seu mala locutio de alio; et qui ita male loquuntur, maledici vocantur. Ita in re communis.

3. *Maledicti varia divisio*. — Resp. II. Maledictum dividitur in detractionem, calumniam, et blasphemiam, indeque maledici in detractores, calumniatores, et blasphemos. Detractio, et detractor est, quando quis de absente male loquitur, ejusque famam denigrat, aut minuit dicendo de illo, quod sit fur, v. g. homicida, mendax, fallax, etc. Calumnia et calumniator est, quando quis in faciem alterius, seu in præsentia illius malum objicit. Blasphemia et blasphemator est, quando quis de Deo, vel sanctis ejus male loquitur juxta magis dicenda infra n. 15.

4. *In varios fieri potest*. — Porro maledictum, prout comprehendit detractionem, et calumniam, fieri potest vel in privatum, vel in superiorem, præsertim supremum, eumque vel sæcularem, v. g. imperatorem, regem, principem, vel ecclesiasticum, v. g. Papam, episcopum, etc.

5. *Pœna maledicti in privatum*. — Resp. III. Pœna maledicti in privatum commissi est, quod præter reatum peccati, et obligationem restituendi famam maledicens sit obnoxius actioni injuriarum, et palinodiæ, seu recantationi arg. l. *Item*, 15, § *Generaliter*, 27, ff. de *Jurejur. et libell. fam.* cum concordantiis c. *de Quibus actionibus*, et magis infra tit. XXXVI, de *Injur. et damno dato*.

6. *Pœna maledicti in imperatorem, vel alium principem sæcularem supremum*. — Resp. IV. Quamvis olim pœna maledicti in imperatorem, aut principem sæcularem fuerit eadem cum pœna criminis læsæ majestatis, teste Arnobio communem allegante, lib. *Adversus gentes*, ubi ait: «Majestatis sunt apud nos rei, qui de vestris secus obmurmuraverint regibus; nihilominus de jure communi nulli certæ, sed soli arbitrarie pœnæ ipsius principis subest; ita tamen, ut etsi hic maledictum in se conjectum, ut examinari valeat, referri velit, tamen suadente lege et magnanimitate punire non soleat, nisi maledictum in ipsum officium principis fiat, vel circumstantiæ id suadeant, l. un. c. *Si quis imperatori*, ibi: «Si quis modestiæ nescius, et pudoris ignarus improbo, petulantique maledicto nomina nos-